DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS

DE

CHORO TRAGICO GRAECORUM.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS

DE

CHORO TRAGICO GRAECORUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOHANNIS HENRICI SCHOLTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. ET THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

PETRUS IOHANNES UYLENBROEK,

LUGDUNO-BATAVUS.

AD DIEM IV M. IUNII MDCCCXLVI, HORA II.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD I. H. GEBHARD ET SOCIOS.

BIBLIOPOLAS.

INTRODUCTIO.

Tragoediam Graecam originem duxisse ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, i. e. a coryphaeis dithyrambi (1), auctor est Aristoteles, eaque traditio recepta est ab omnibus, qui historiam tragoediae interpretati sunt. Quaenam autem fuerit dithyrambi ratio (2), quae tragoediae Thespidis forma, aut, quod eodem redit, quales sint *multae illae mutationes*, quas tragoedia subierit, prius quam exculta esset, nondum satis ad liquidum perductum est. Huius rei causa tum aliunde repetenda est, tum a crebra verborum διθυράμβου et τραγῳδίας permutatione. Ete-

(1) Alias horum verborum explicationes vide enumeratas apud Welckerum, *Nachtrag zu der Schrift, über die Aeschylische Trilogie* p. 228.

(2) De dithyramborum metris, heroico, bacchiaco, anapaestico, trochaico, tum de formis, monostrophica, post Alcmanem antistrophica, deinceps iterum monostrophica, de generibus, diegematico, mimetico, aliis, disputavit C. E. Geppert, *die altgriechische Bühne.* Leipzig 1843.

nim Arion, qui primus chorum dithyrambicum constituit, a Suida τραγικοῦ τρόπου εὑρετής, et Epigenes (1), qui Sicyone dithyrambicum chorum docuit, ab eodem τραγῳδοποιὸς dicitur, quod ita explicatur a Müllero (2), ut illi putandi sint primi fuisse, qui non Bacchum tantum sed etiam heroes dithyrambis suis celebraverint, quod Sicyone obtinuisse tradit Herodotus (3), narrans Clisthenem, Sicyonis tyrannum, tragicos, i. e. dithyrambicos choros, qui Adrasti πάθη celebravissent, Baccho reddidisse, inter quos quamdam necessitudinem exstitisse dicit Welckerus. (4).

Qualis autem fuerit *tragoedia lyrica*, alia est eaque difficillima quaestio, de qua omnium primus egit Boeckhius (5), deinde Welckerus et Geppertus. Hanc etsi denuo tractare a consilio meo alienum est, non possum tamen quin commemorem Welckeri opinionem, qui putat Thespidem multa ex tragoedia lyrica sumsisse, quum ceteroquin a tragoedia dramatica bene distinguenda sit. Huius tragoediae generis, quod praetermisit Müllerus in historia literarum Graecarum, auctor ab Gepperto (6) habetur Epigenes. Nobis autem agendum est de personis chori dithyrambici, quos Satyros fuisse apparet e verbis Aristotelis, tra-

---

(1) Cf. Bentleius, Phalarid. p. 128. ed. Lenn. Welcker, Nachtrag. p 234.

(2) Geschichte der Griech. Literat. II. 30.

(3) Hist. V. 67.

(4) Nachtrag. p. 235. Contrariae opinionis est Geppertus l. l. p. 18. Creuzerus, Comment. Herodot, p. 220, ex Pausania refert fanum Adrasti iuxta Bacchi templum situm fuisse.

(5) Staatshaush. d. Athener. II. p. 362.

(6) L. l. p. 20—22.

goediam ortam esse *ἀπὸ τοῦ Σατυρικοῦ*, et Suidae *τὸ πρόσθεν — τούτοις ἠγωνίζοντο, ἅπερ καὶ Σατυρικὰ ἐλέγετο*, sed de tempore, quo chorus hominum in Satyrorum locum venerit, disputant V. V. D. D. (1) Aristotelis enim verba, quae modo laudavi, eaque quae statim sequuntur, tragoediam nempe non nisi *sero ἐκ μικρῶν μύθων* et e ridicula oratione ad gravitatem evectam esse, ita interpretatur Bentleius (2), ut Thespidis etiam tragoediae chorum habuerint Satyrorum et *Satyricae ludicri argumenti* fuerint, cuius rei inter alia argumenta affert (3) notationem vocabuli *τραγῳδίας*, quod sit derivandum a carmine *τῶν τράγων*, qui iidem sunt ac Satyri. Huic notationi, quam multi recentiorum probaverunt, iure alii, inprimis Welckerus et Müllerus (4) aliam opposuerunt, Tragoediam nimirum proprie dictam esse de carmine cantato circum aram, in qua hircus Baccho mactabatur; quo facto difficultas de discrimine inter tragoediam et dithyrambum non minuitur. Sed alia quoque contra Bentleium affert Welckerus (5): nimirum si Thespis chorum habuisset Satyrorum, hisque unum adiunxisset actorem, non Pratinam sed Thespidem auctorem dramatis Satyrici habendum fuisse, quod disertis veterum testimoniis repugnat: tum etiam,

---

(1) Arion *λέγεται πρῶτος Σατύρους εἰςενεγκεῖν* in dithyrambos. Suidas v. *Ἀρίων*.

(2) Phalar. p. 134.

(3) Auctore Etymologo magno. 764. 6.

(4) Nachtrag. p. 240. Griech. Liter. II. p. 31 seqq.

(5) L. l. p. 261.

Thespidem numquam dramata Satyrica scripsisse, quum nomina *tragoediae* et *dramatis satyrici* numquam permutata sint, sed accurate distincta; praeterea, Phrynichum, qui sine controversia poeta *tragicus* erat, Thespidis discipulum dici; Thespidis quae feruntur fragmenta, non e ludicro esse genere, sed verba gravia, atque tragoediae aptissima; quae denique (1) a Suida laudantur fabularum nomina, *Ἱερεῖς*, *Ἤϊθεοι* manifesto ostendere chorum non esse Satyrorum sed *sacerdotum* et *iuvenum*, unde coniicio Welckerum in alia Thespidis fabula, *Pentheo*, chorum *Baccharum* fuisse putare; si enim non constitit Satyris, vix alii praeter Bacchas, Bacchum comitari potuerant (2).

Thespidis igitur chorus non solum in aliis tragoediis alias personas agebat, sed choro etiam additus est histrio unus (3): unde coniici potest Thespidem fuisse, a quo chori forma mutata sit. Chorus enim dithyrambicus erat κύκλιος (4), constans quinquaginta choreutis, qui dithyrambum canebant, saltantes *circum* Bacchi aram. Quo melius autem cum histrione

---

(1) L. l. p. 270. Mediam viam inter Bentleii et Welckeri opiniones ingressi sunt Schneiderus, *de Originibus Tragoediae Graecae.* Dahlman, *Primordia et successus veteris Comoediae Athen. c. trag. historia compar.* Jacobus, *Quaestiones Sophocleae*, quos laudat Geppertus, qui ipse tragoediae originem non ex Arionis, sed ex Archilochi dithyrambis repetendam censet. p. 17.

(2) Cf. Casaubonus apud Bentleium Phalar. p. 135.

(3) Inventio inde repetenda, quod jam eo tempore dithyrambi coryphaeus αὐτοσχεδιαστὴς cum choro agere inceperat.

(4) Cf. scriptores laudati a Müllero in libro: *Aeschylos Eumeniden, Griech. u. Deutsch.* p. 75.

in scena agere et loqui posset, chorus tragicus e cyclio factus est τετράγωνος, quod intelligendum est de figura quadrata oblonga, quam choreutae efficiebant per στοίχους et ζῦγα stantes. Quum autem ex comparatione cum choro tragico Aeschyli et Sophoclis non verisimile sit singulos στοίχους decem, et ζῦγα quinque choreutis constitisse (unde chorus quinquaginta fuisset personarum), fingendus est chorus quadraginta octo choreutarum (1), qui oritur si στοῖχοι octo, ζῦγα sex choreutis constiterint, quem numerum legitimum esse etiam inde apparet, quod chorus comicus, qui dimidium erat totius chori tragici, viginti quatuor choreutis constabat. Chorum igitur tragicum, quadraginta octo personarum, ab Archonte accepisse Aeschylum, et divisisse in quatuor choros, singulis tetralogiae fabulis, probavit Müllerus, his maxime usus argumentis, quod plures chori in singulis tragoediis prodeant (2), et unus chorus, duodecim choreutarum, impar fuisset partibus in tetralogia diversissimis recte fungendis.

Utrum vero magno illo choro tragico integro usus sit in tragoediis Thespis, an quarta eius parte, in medio relinquit Müllerus, dubitat Welckerus (3), ad eam tamen sententiam propensior, deminutionem numeri choreutarum, ad Thespidis quoque in-

---

(1) Hunc chorum spectasse videtur Pollux, dicens chorum tragicum constitisse quinquaginta personis. IV. 15.

(2) Cf. infra.

(3) Nachtr. p. 272.

venta referendam esse, quia nec de Aeschylo tale quidquam memoratur, et Thespidis chori ab dithyrambis iam ita sunt diversi, ut veterem formam, etiam quod ad numerum attinet, facillime mutare potuerit; quae Welckeri disputatio mihi probabilior videtur quam Gepperti, qui Aristotelis verba *Αἴσχυλος τὰ τοῦ χόρου ἐλάττωσε* non solum ad chori partes, sed etiam ad numerum choreutarum refert (1). Haec enim explicatio vereor ne linguae legibus repugnet.

In Thespidis tragoedia, quae constabat uno histrione, qui, vestibus mutatis, in eodem dramate diversas personas agebat, et choro, in aliis fabulis alias personas agente, chori partes maiores erant quam dialogi, ita ut histrionis actio choro carminum argumenta praeberet, quod non solum ex nomine *ὑποκριτοῦ* apparet, sed etiam ex disertis Aristotelis verbis (2): *Αἴσχυλος τὰ τοῦ χόρου ἐλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασε;* quae verba Hermannus (3) non recte mihi explicare videtur ut *λόγος πρωταγωνιστὴς* sit actor primarum partium, oppositus actori secundarum, quem Aeschylus addiderit; *λόγος* est *dialogus* (4) histrionum inter se aut cum choro, oppositus chori carminibus quae

---

(1) Cf. ejus argumenta. p. 59 seqq.

(2) Poet. IV. 16.

(3) In Comment. Aristot. l. l. p. 109.

(4) Hanc etiam aliorum interpretum explicationem esse cognovi ex Buhlii editione. Postremo etiam apud Welckerum, *die Griechischen Tragoediën*. I. p. 70.

canebantur, cui dialogo primus Aeschylus partes primas tribuisse ab Aristotele dicitur.

In Phrynichi quoque tragoediis praecipuae partes chori fuisse videntur. E mutationibus autem quas in re scenica fecit, eas praetermittere possum, quae musicam spectant, orchesticam et metrum (1). Commemoranda sunt potius haec Suidae verba: *οὗτος δὲ πρῶτος γυναικεῖον πρόσωπον εἰσήγαγεν ἐν τῇ σκηνῇ.* Has autem personas femineas non solum actas esse in dialogo, sed etiam choros fuisse feminarum, manifesto apparet ex eiusdem Suidae aliorumque catalogis tragoediarum Phrynichi, inter quas citantur *Alcestis*, *Erigone*, *Andromeda*, tum, quae a choro nomen habent, *Pleuroniae*, *Danaïdes*, *Phoenissae*, cuius postremae fabulae chorum, dimidia parte viris, dimidia feminis constitisse coniecit Müllerus (2), cuius opinionem indicasse sufficiat.

Aeschylo, praeter inventionem secundi histrionis, (unde appellatio protagonistae et deuteragonistae sponte sequitur), propria est tum comprehensio trium tragoediarum, quae argumento coniunctae erant, addito dramate satyrico, ita ut hoc cum tragoediis illis tribus vinculo quodam contineretur, essetque illa continuitas argumenti nisi in omnibus,

---

(1) Iterum usus est metro tetrametro, quod in dithyrambis, *διὰ τὸ σατυρικὸν καὶ ὀρχηστικώτερον εἶναι*, (Aristot. Poet, l. l.) in more fuerat, sed a Thespide mutatum in trimetrum. Suidas Phrynichum tetrametri inventorem perhibet.

(2) In disputatione de Phrynichi Phoenissis. Gölting. 1835. laudata a Gepperto l. l. p. 48.

certe in nonnullis tetralogiis; tum deminutio partium chori, dialogo primis tributis. Nihilominus apud Aeschylum, non solum stasima sunt elaboratissima, sed etiam *κόμμοι*, i. e. carmina chori cum histrionibus, vel commiserationes cum protagonista, calamitatibus obruto, tam arcte cum fabulae argumento coniuncta sunt, ut chori partes non modo, sine fabulae detrimento, tolli nequeant, sed una cum argumento in poetae animo natae esse videantur.

In Sophoclis (1) quoque tragoediis chori partes angustius circumscriptae sunt; annexae sunt actioni fabulae, non ita inhaerent, quin saepe unus histrio eius partibus, quatenus in agendo constant, fungi potuerit; quod vinculum in plerisque fabulis Euripideis plane sublatum est.

---

(1) Sophoclis praecipuae mutationes, quae tragoediae formam spectant, hae sunt: duobus histrionibus additus tertius, vinculum sublatum inter fabulas tetralogiae, qua poetae certare pergebant; choreutarum numerus ab duodecim in quindecim auctus.

CAPUT I.

DE STATU CIVILI PERSONARUM QUAS CHORUS AGIT.

Chori partes in tragoedia, ut vidimus, paullatim ita deminutae sunt, ut, quum origine fuisset protagonista, jam apud Euripidem saepe prorsus extra fabulae actionem constiterit. Hinc repetenda est Welckeri (1) divisio chororum in tria genera, in quorum primo ii sint, qui primas tragoediae partes agant v. c. Aeschyli Supplices, in altero ii, qui arcte cum actione coniuncti sint, ut Aeschyli Eumenides, in tertio denique ii, qui personis agentibus sint additi. Quae divisio facile probari potest, dummodo attendamus ad discrepantiam, quae inter postremi generis choros observanda est, v. c. inter Sophocleos et Euripideos, quorum utriusque pleri-

(1) Aeschyl. Tril. p. 405.

que in duo priora genera referri non possunt. Mihi autem de postremo tantum genere agendum erit, quum reliqui chori ita ab ipso fabulae argumento quasi suppeditati sunt, in iis ut nulla fere poetae deliberatio cerni possit.

Chori in tragoedia officium duplex est. Alterum (1) ut, tamquam spectator, effectum actionis in animum non alienum, ita recipiat, ut reliquis spectatoribus ratio ostendatur, quomodo singulae partes, indeque tota tragoedia sit percipienda; alterum ut, tamquam histrio, actionem fabulae adiuvet (2); quorum utroque ut recte fungi possit, primo loco consentaneum est ut *liberis* constet hominibus, quia servi aegre actoris partes agere possunt in tragoedia, quae σπουδαίας πράξεως μίμησις est, aegre etiam spectatoribus animi rite commoti exemplum praebere; cuius rei causa ex origine quoque tragoediae repeti potest, nempe a dithyrambis bacchicis, quos alios quam liberos agere, ipsi festi solemnitati repugnabat.

Chorum autem hominibus liberis constare iam antiqui scholiastae (3) annotaverunt ad Eurip. Med. 818. Phoen. 202. inprimis commentator Soph. Aiacis. vs. 134. a cujus scholio quantivis pretii initium ducat disputatio mea necesse est. Dicit enim chorum

---

(1) Cf. Müller. Griech. Literat. II. p. 23. 65.

(2) Aristoteles, Poet. XVIII. 21. Euripidis fabulas carpens quod chorus non συναγωνίζεται, non posterius tantum, sed prius etiam chori officium tangere mihi videtur.

(3) Veterum quoque commemorantur περὶ χόρου λόγοι a Plutarcho, apud Valck. Phoen. p. 371. (quamquam hi praecipue de cantu et rhythmo egisse videntur), ipsius adeo Sophoclis a Suida.

agere personas *liberas*, ut gaudeant plena dicendi libertate, easque *cives* propter *συμπάθειαν*, et *subditos* (1) propter modestiam (protagonistae autem cives et subditos intelligendos esse ex sequentibus apparebit). Haec definitio tam perspicua est, ut explicatione non indigeat. Exploranda potius est eius veritas considerandis superstitum fabularum choris.

Et in Aeschylo (2) quidem, quod Danaidum in Supplicibus et Eumenidum in cognomine fabula chori non constant civibus et subditis protagonistae, eo scholiastae regula propterea non evertitur, quod alter in primum, alter in secundum chororum genus, ex Welckeri descriptione, referendus est, de quibus mihi hoc loco dicendum non esse modo dixi. Neque obstat chorus Oceanidum in Prometheo vincto, Welckero (3) ostendente, unicum alium, qui excogitari possit, Cabirorum nempe, ideo improbandum esse, quod hi, Vulcani socii, animo erga Prometheum nimis forent iniquo. Requiruntur nempe daemones, quia et deorum et hominum chorus ineptus fuisset.

Quum autem et virgines in Septem ad Thebas et

---

(1) Iniuria scholiasta distinguit *cives* a *subditis*; in tragoedia enim non hominum e vita communi, sed regum fata et facta aguntur.

(2) In Aeschylo animadvertendum choros tragoediarum trilogiae, non easdem personas agere, quod ex eo explicandum quod iam apud Aeschylum partes chori subiectae sunt actioni dramatis. Ne eae quidem trilogiae excipiendae sunt, in quarum tragoediis chorus protagonista est, ut apparet ex trilogia Danaide, cujus fabulae sunt Supplices, Aegyptii, Danaides.

(3) Aesch. Tril. p. 13. 26.

Senes in Agamemnone et in Persis (1) liberi, cives et subditi sint protagonistae, supersunt Choephori, quae sunt mulieres servae, bello captae, ut disertis verbis ipsae significant vs. 75 seqq. cuius rei ratio haec mihi videtur danda esse. Fabulae argumentum est *vindicta Orestis*, quam priusquam sumeret cum Electra, opus erat ut patri solemnes inferias ferret, quarum solemnitas quo maior esset, id, non ut Sophocles, extra scenam perfici voluit Aeschylus, sed Agamemnonis sepulcrum in ipsa orchestra posuit, nec Orestem solum, deinde Electram aut Chrysothemin solas inferias ferre voluit, sed pompam addere choephororum, Oresti et Electrae faventium; quum autem aliam ob causam somnium Clytaemnestrae, et huius quoque inferiae in fabula requirerentur, utriusque inferias ita coniunxit ut chorum constituerit famularum (2) *Agamemnonis*, quae Clytaemnestrae iussu prodeuntes, Orestis tamen et Electrae inferiis ferendis aptae essent, propter summum amorem, quo pristinum dominum prosequantur, ut ex vs. 83 apparet.

In Sophoclis tragoediis chori sunt hominum *liberorum*, qui quod non in omnibus cives sunt et

---

(1) Chorum Persarum constare septem illis nobilibus Persis, adjuncto singulis ministro, conjecit Stanleius, ut cognovi ex Welckero, Tril. p. 61.

(2) Aeschyli fortasse Choephoros respicit Euripides, Orest. vs. 106. ubi Helena, cum Electra disputans, quosnam mittat ad choas ferendas, dicit

αἰσχρόν γε μέντοι προσπόλους φέρειν τάδε.

subditi protagonistae, fabulae dispositio manifesto obstabat, quominus consuetudinem poeta sequeretur. Nulla vero est fabula, qua observatio de necessitudine civitatis inter protagonistam et chorum, melius confirmatur, quam in *Aiace*, quia in hac tragoedia aliarum quoque personarum chori poetae praesto erant; adhiberi enim potuerat chorus militum Ulyssis, aut alius belli ducis, chorus militum Graecorum universe; non fecit poeta: res enim adversae Aiacis neminem magis afficere poterant, quam Salaminios, eius cives; qui quo erga eum sint animo statim in parodo declarant, nullam fidem habentes rumoribus de Aiacis insania, quos ab inimicis fictos putant, tum in carmine quod cantant, postquam moriendi consilium abiecerat, vs. 693 seqq. aliisque locis.

Eodem modo explicandi sunt chori virginum *ἐπιχωρίων* in Electra, senum Thebanorum in Oedipode Tyranno et Antigona. Ubi vero protagonista extra patriam suam degit, uti Deianira, quae Trachine, Oedipus alter, qui Athenis est, in his tragoediis choros esse civium regionis, in qua fabula agitur, rei naturae accommodatum est (1); in quibus fabulis necessitudini inter protagonistam et chorum alia ratione consulendum erat.

Superest Philoctetes, qui nec chorum civium nec incolarum Lemni (2) habere poterat. Requiritur igi-

(1) Alia tamen ratione egit Euripides, v. c. in Jone, de qua infra.

(2) Sophocles, utrum Lemnum totam finxerit desertam, an eo littore ubi Philoctetae erat specus, ut Schol. ad vs. 2. explicat, nec

tur chorus advenarum. Iudicium tamen Sophoclis in eo observandum, quod aperte significat nautas, ex quibus chorus constat, non Ulyssis sed Neoptolemi esse, cf. vs. 151, cuius rei haec mihi videtur ratio esse, quod chorus nautarum Neoptolemi majorem poetae praeberet occasionem Neoptolemi ipsius indolem accuratius describendi. Hac in fabula quam egregie conciliatoris partibus fungatur, praecipue ostendit vs. 524, ubi Neoptolemo turpe videtur, si, in auxilio hospiti ferendo, minus alacer esse appareat quam nautae. Hos nautas quantum misereat Philoctetae calamitatum declarant vs. 169-190, 507-518, 676-729.

In Euripide eodem modo chorus constat liberis hominibus, qui, si protagonista in patria sua degit, ejus cives et subditi esse solent, si peregre degit, incolae regionis, in qua res aguntur. Ita in Medea chorus est feminarum Corinthiarum (scena est Corinthi); in Hippolyto, feminarum Troezeniarum (res aguntur Troezenis); in Alcestide, quae regina est Pherarum, senum Pheraeorum; in Heraclidis, qui duce Iolao supplices Athenas venerant, Atheniensium; in Electra, virginum ἐπιχωρίων i. e. Argivarum; in Hercule Furente, senum Thebanorum; in Oreste, amicarum Electrae, Argivarum (fabula agitur Argis).

---

perspicue indicavit, nec scire refert; Philoctetem *solum* fuisse multi loci indicant. Ratio vero, cur in hac re traditionem Aeschyli, qui chorum fecit Lemniorum, reliquerit, nulla alia mihi videtur, nisi ut Philoctetae calamitatem ita redderet atrociorem; Aeschylum secutus est Euripides, teste Dione Chrysostomo.

Regula autem, quam supra posui, non vereor ne fabulis, in quibus aliter se res habere deprehenditur, evertatur, si exceptiones aptam quasque causam habere probavero, quae aut in fabulae argumento et oeconomia sita sit, aut explicanda e more Euripideo, qui regulam suo fini accommodaverit.

Et primo quidem loco nobis se offerunt Hecuba et Troades; quarum in utraque Hecuba est protagonista, chorus captivarum Troadum. At hae non sunt servae, in servitute natae, sed mulieres nobiles, Graecorum ducum praeda ἐξαίρετος, Hec. vs. 102. Troad. vs. 187, in servitute animi libertatem servantes, praesertim quum recens sint captae; (nam in Troadibus, ante incendium Troiae, in Hecuba, res aguntur in Chersonneso,) servantes igitur παῤῥησίαν, qua quia servi carent scholiasta Sophoclis l. l. talem chorum improbaverat; et, quod praecipuum est, hae solae sunt, quae cum Hecuba συμπάσχειν possint.

In Helena chorus est puellarum Graecarum vs. 193, Theoclymeni, regis Aegypti, servarum vs. 1630. a praedonibus maritimis captarum. Haec, ut Helena, quae primas agit partes, chorum haberet mulierum συμπαθουσῶν, satis probabiliter finxit Euripides. Eo enim tempore multas mulieres, et a Graecis, et a barbaris rapi solitas fuisse, tradit Herodotus, Historiarum initio. In hac quoque fabula, propter συμπάθειαν chori cum protagonista (quae maior est in civibus in terra barbara) adhibitas esse mulieres Graecas, vel ex eo apparet, quod inde ab adventu Menelai,

mariti, ut fingitur, carissimi, chori (1) partes ad stasima restringuntur, cessante dialogo chori cum Helena. Aptior autem quam mulierum Graecarum chorus excogitari non potest, quia nautae Menelai ante Menelaum in scena adesse non poterant, et cum eo fugere debebant, et feminae Aegyptiae animo erga Helenam nimis fuissent iniquo. Ceterum servae illae indolem non valde servilem produnt, quum in fine fabulae, vs. 1628. Theoclymenum regem prehensum (2) retinent quominus regiam intret.

Chori ratione non multum ab Helena differt Iphigenia Taurica. Nam in hac quoque chorus est feminarum Graecarum, licet res non in Graecia sed in terra barbara agantur. Accuratius autem quam in Helena, poeta definivit, ex qua Graeciae regione feminae illae ortae sint. Ex ipsis enim chori verbis vs. 1097. attente lectis, manifestum est esse Delias, in nescio cuius Deli urbis direptione captas, deinde venditas, et Chersonnesum abductas. Hoc callide finxit poeta, ut hae quoque mulieres *Dianam* praecipue colerent, nam in Chersonneso, Iphigeniae, sacerdotis Dianae πρόςπολοι dicuntur. Haec fingere iure maluit poeta, quam chorum facere barbararum aut nautarum Orestis, quos tragoediae oeconomia prorsus aspernatur. Nec fortasse ha-

(1) Memorabilis chori absentia ab orchestra et proscenio, inde ab vs. 385—514. ut apparet ex vs. 327. 331. 334. 515. Inde Menelaus iuxta regiae ianuam stans, chorum non videt. Idem locum habet Soph. Aiac. vs. 813. ubi vide Lobeck.

(2) Utrum chorus reliquit orchestram, an Theoclymenus proscenium?

rum mulierum servitus παῤῥησίᾳ obstat, quia nullus iis locus est cum Thoante, tyranno et domino, disputandi, quippe qui in postrema tantum scena prodeat. Animi praeterea liberalitatem, Graeciae amorem et desiderium satis ostendunt in stasimo vs. 1089 seqq. In eo Iphigeniae chorus ab Helenae differt, quod ille a Minerva domum mitti iubetur, hic in Aegypto manet.

In Andromache chorum constare servis falso efficeretur ex eo quod vs. 142. 232. Hermionem vocant δεσπότην et δεσποίναν. Non enim est serva, quae heram, sed civis, quae reginam alloquitur. Mulieres Phthiotides esse apparet ex vs. 1048. easque nobili genere natas manifesto ostendit vs. 767.

ἢ μὴ γενοίμαν, ἢ πατέρων ἀγαθῶν εἴην πολυκτήτων τε
[δόμων μέτοχος.

Eodem modo vindicanda libertas senum Thebanorum, in Hercule Furente, qui vs. 251 dicuntur δοῦλοι γεγῶτες τυραννίδος, Lyci nempe, qui eo tempore Thebarum tyrannus erat.

Ionis etiam chorus ex more Euripideo facile explicari potest. In catalogo personarum dicuntur Creusae θεραπαινίδες, vs. 510 πρόςπολοι, vs. 666 δμωΐδες, vs. 748 δούλευμα πιστόν. Nec appellatio κλεῖναι γυναῖκες contrarium probat, quia haec alius servi verba sunt. Mos autem Euripidis, quem infra explicabo, postulat ut chorus constet mulieribus, iisque subditis Creusae, reginae Athenarum. Quum autem fabula agatur Delphis, Creusa non facile alias comites quam servas

secum habere poterat. Difficultatem chori servarum Euripides fortasse ipse sensit, quum eas in altercatione inter Creusam, Ionem et Pythiam prorsus silentes facit.

Duae sunt tragoediae, in quibus chorus, peregre petitus, non constat civibus protagonistae, nec incolis regionis, in qua fabula agitur; Iphigeniam dico Aulidensem et Phoenissas. In Iphigenia chorus est mulierum nuptarum Chalcidensium, vs. 176, quae, Euripo navibus traiecto, per lucum Dianae, vs. 181 Aulidem venerunt, ut Graecorum exercitum et naves viserent, quae omnia accurate in parodo narrant. De hoc choro, eiusque in fabula consilio ex poetae animo, non ita difficile est certi aliquid pronunciare, etsi in hunc maxime cadat et in Phoenissas, quae unica sunt exempla chori peregrinorum, Aristotelis reprehensio *τοῦ μὴ συναγωνίζεσθαι*, sive *τοῦ ἱστορίας τινας ἀπαγγέλλειν* (1). Raro enim ceteris personis interloquitur; ubi interloquitur, semper probat ea, quae postrema dicta sunt, vel semper miseretur illius, qui ultimus verba fecit, v. c. Agamemnonis et Menelai, vs. 469, Clytaemnestrae, vs. 1209, Iphigeniae, vs. 1336, 1404, unde, cui prae ceteris faveat, definiri prorsus nequeat. Stasima, etsi per se pulcra, incredibili tamen modo languida sunt et aliena a rebus, quae proxime antecesserunt. Ita v. c. post altercationem et reconciliationem Agamemnonis et Menelai, chorus laudat, si quis modum servat in amore, im-

(1) His verbis Schol. Arist. Acharn. vs. 443 carpit chorum Phoenissarum.

moderati Paridis amoris exemplo deterritus, vs. 544-590; post primum congressum Agamemnonis et Clytaemnestrae, quae adhuc ignara est malorum, quae impendent, auguratur oppugnationem et excidium Troiae, vs. 751-800; deinde, quum spectatorum animi vehementissime intenti sunt propter consilia, quae, Achilles et Clytaemnestra inierunt, ut impedirent quominus sacrificium perficeretur, placidissimis versibus celebrat nuptias Pelei et Thetidis, in cuius carminis fine obiter quaedam de vitiis hominum monet. Deinde hymnum in Dianam canere iussus, Deam precatur ut sacrificium bonum eventum habeat, nempe excidium Troiae. Manifesta haec chori ἀπάθεια, nisi defendi, at excusari tamen eo potest, si animadvertimus Euripidem coactum fuisse ut chorum sumeret peregrinorum, qui natura sua alienis calamitatibus minus commoveri possunt quam cives. Recte enim evitavit chorum militum, non quod illarum mulierum cum Iphigenia, aut alio maior sit συμπάθεια, nam nulla est omnino, sed ne Iphigenia, ut Chalcidenses,

Φοινίσσῃ παρῇδα
αἰσχύνᾳ νεοθαλεῖ.

Phoenissarum argumentum petitum est ex Aeschyli trilogia *Thebaide*, quam Welckerus (1) ex Nemea, Septem ad Thebas, et Phoenissis constare facit. Nimirum post Septem ad Thebas sequi debere fabu-

(1) Tril. p. 359.

lam (1), quae sepulturam Polynicis, poenam Antigonae et aliquam sortis mutationem Oedipi contineat, finis tragoediae Septem ad Thebas satis luculenter ostendit. Haec autem argumenta comprehendi non potuerunt fabula, cuius chorus constaret Phoenissis, nisi peripetia dramatis facta sit per nuntias Phoenissas, nescio quam *κάθαρσιν*, seu nodi solutionem, Tyro afferentes. Probabilis enim fingenda esset ratio, cur Phoenissarum legatio venisset Thebas, inter sepeliendi fratris consilium, ab Antigona captum, et sepulturam ipsam (nam, durante obsidione et fratrum pugna, Phoenissas Thebis non adfuisse ex ipso silentio conficiendum est). Ob quam enim aliam causam Aeschylus chorum virginum Thebanarum in Septem ad Thebas mutavisse putandus esset.

Perperam autem, ut suspicor, perhibetur Euripides suas Phoenissas ex Aeschyli Septem ad Th. et tertia tragoedia conflavisse; etenim ex omnibus episodiis, quae, in Septem ad Th. haud obvia, in Phoenissis introduxit, nullum ex tertia Aeschyli fabula mutuari potuit, nisi exitum Oedipi. De iis, quae Euripides ex Septem ad Th. sumserit, egit Hermannus in Phoenissarum editionis praefatione; qualem comparationem inter Aeschylum et Euripidem,

---

(1) Iocastam in tertia fabula in scenam prodiisse mihi non verisimile videtur, quia in Septem ad Th. nulla eius ratio habita est, sed Antigone et Ismene prodeunt, ut Polynicem et Eteoclem lugeant, quod, si viveret, matris erat. Minoris momenti est argumentum, quod eius mors sit celebrata in alia trilogia, *Oedipodea*. Welcker. Tril. p. 359.

huic iniquam esse iure affirmavit Welckerus (1). In iis autem partibus, in quibus Aeschylum non secutus est, recensendus est chorus, de quo hic agendum est. Constat enim virginibus Phoenissis, quae Apollini Delphos donum missae, Thebas venerunt. De quarum adventu animum meum advertit Cl. Geelius ad errorem interpretum, qui putaverint virgines illas adverso vento coactas esse, ut Thebas se conferrent. Hoc autem a poetae verbis adeo abhorret, ut verba

ὁμογενεῖς ἐπὶ Λαΐου πεμφθεῖσ᾽ ἐνθάδε πύργους,

non nisi in contrariam partem accipi possint: nempe Phoenissas *consilio* Thebas venisse, ut Thebani, pro arctissima necessitudine cum metropoli, legationis participes essent; quo facto Phoenissarum *συμπάθεια*, cum rebus, quae Thebis geruntur, multo melius explicari potest, et quamquam illud negari non potest, chorum peregrinorum natura sua magis extra tragoediae actionem manere, hoc ideo huic fabulae minus nocet, quod in ea satis magnus est numerus personarum, quae Eteoclis indolem et facta produnt; hoc autem secus est in Aeschyli Septem ad Th. His rationibus (2), quibus Phoenissarum chorum explicui, Euripidi etiam aliam accessisse puto, studium nempe

---

(1) Tril. 363.

(2) Non valere Scholiastae observationem, qui chorum peregrinorum sumtum censet, quo tutius hi Eteocli possint obloqui, apparet ex eo, quod Aeschylus usus sit choro virginum Thebanarum.

spectatorum *oculis* gratificandi. Si enim *satis ducebat versibus suis numeros praeire, quibus suaves aptari modi possint* (1), cur non tales elegisset chori personas, quibus splendidus vestimentorum apparatus aptari posset?

(1) Verba sunt Hermanni in Phoen. Praefat. p. XXIV.

CAPUT II.

DE SEXU ET AETATE PERSONARUM, QUAS CHORUS AGIT.

De sexu et aetate personarum chori disputaturo, primo loco mihi occurrit observatio Welckeri (1), viri sagacissimi, qui in Promethei Soluti choro Titanum, duodecim personis constante, sex facit Titanes mares, sex femininas (2), quo melius scilicet duodecim maioribus illis Diis et Deabus sint oppositi. Sed quum Scholiasta Aristophanis Eq. 586. chorum, partim masculinum, partim femininum *comoediae proprium* dicat, Welckerus vero nullum afferat locum, quo opinionem confirmet, aut, si coniectura nitatur, probabilem reddat, de ea dubitare mihi liceat: po-

(1) Tril. p. 37.

(2) Similem opinionem K. O. Mülleri de choro Phoenissarum, in cognomine Phrynichi fabula, supra indicavi, p. 7.

tiusque fingere chorum Titanum totum masculinum, quia Tragici numerum personarum, quas e Mythologia petebant, etiamsi *fama* constitutum, chori consuetudine postulante, auxerunt, aut minuerunt, quod et in choro Oceanidum in Prometheo Vincto factum est, et in choro Eumenidum; Hermanno (1) probante, numerum Furiarum ternarium (Alecto, Megara, Tisiphone) in quindecim auctum fuisse, quali argumento etiam ad alia probanda utuntur V. V. D. D. quemadmodum Boeckhius (2), postquam probavit in Aeschyli Danaidibus Supplicibus, quae quinquaginta esse ferebantur, chorum quindecim constitisse personis, inde colligit Supplices post Eumenidum primam editionem esse actas, fidem habens nempe narrationi de lege, quae lata esse dicitur post Eumenidum primam editionem, (in qua chorus fuisset quinquaginta Eumenidum), qua lege secundum eandem traditionem poetis tragicis in posterum non licuisse credit, maiorem facere chorum quam quindecim personarum.

Hac occasione data, commemoranda est tragoedia, cuius chorus constat hominibus, qui ex historia noti, requisitum tragici chori numerum non implent, Euripidis nempe Supplices, quae matres sunt heroum, qui, in bello Thebano, ante Thebarum portas occubuerant. Septem ducum septem matres singulas cum famula, chorum fuisse demonstravit

---

(1) Dissert. de choro Eumenid. Opusc. II. p. 130 seqq.
(2) Graec. Trag. princ. p. 54, 63.

Boeckhius (1), unde chorus quatuordecim personarum conficeretur.

Huc etiam referenda est quaestio de choro Oedipi Tyranni, quem non sacerdotibus illis et pueris, de quibus in fabulae initio sermo est (ut aliquando creditum est), sed senibus constare recte animadvertit Musgravius, teste Erfurdtio, in Sophoclis editione minore, cuius tamen argumentis hoc simplicissimum addendum est, quod Oedipus vs. 144, iubet pueros λαὸν arcessere, qui deinde, vs. 223, adesse manifesto dicitur; quum autem interim nemo intrare potuerit praeter chorum (2), chorus λαὸν agere dicendus est, nec obstat breve temporis spatium inter vs. 144, quo arcessi populum iubet Oedipus, et vs. 151. quo advenit; nam et eiusmodi mandata in Tragoedia brevissimo tempore perficiuntur, et chorus sponte advenisse censeri potest. Notum enim erat Creontem Delphos profectum esse; nam quod Oedipus ea sacerdotibus narrat, in spectatorum gratiam fit, quod in tragoediae exordio semper fieri sole-

---

(1) Trag. Graec. Princ. p. 75. cf. Hermannus, in Supplicum praefatione, contra quos disputavit Mauritius Axt, in programmate Gymnasii, quod Cliviae est. 1826. qui, exceptis matribus Eteoclis, et Amphiarai, qui sepulti sint, singulis reliquis duas addit famulas, quo facto chorus suo constaret personarum numero. cf. etiam Geppert. l. l. p. 63.

(2) Haec si vera sunt, apparet vs. 147 verbum ἵστασθαι non significare, *in ordinem se disponere ad saltandum*, sed *surgere* de ara, in qua sedebant. Dicitur tamen ἱστάναι de choro, quemadmodum Aeschylus Eum. vs. 307. χόρον ἅπτειν. Eurip. Herc. Fur. vs. 761. πρὸς χόρους τραπέσθαι.

bat (1). Notus etiam Creontis reditus, at ignotum Apollinis responsum, ut prima chori verba ostendunt (2); quod si scivisset chorus, iam inde a fabulae initio in orchestra adfuisse censendus esset, et iam statim post vs. 150 stasimon cecinisset, de imminente periculo homicidae ignoti, de quo editum erat oraculum, quod carmen nunc legitur vs. 463-511. Ex eo quod chorus vs. 144 nondum conspicitur, apparet primum carmen esse parodon, ita ut non ante vs. 151 per parodi portas in orchestram intraverit. Utrum autem metrum dactylicum primae strophae, anapaestico simillimum, parodon esse arguat, decernere non ausim, quum metrum anapaesticum, in parodis ab Aeschylo usurpatum, in desuetudinem abiisse probaverit Müllerus (3).

Ad sexum autem et aetatem personarum chori attendenti, statim in oculos incurrit, poetas tragicos, si masculinum chorum adhiberent, fecisse chorum senum, si femineum, chorum virginum, nec nisi rarissime iuvenum, et virorum mediae aetatis, nec mulierum grandaevarum. Non dico nunc chorum Aiacis, quos, quippe nautas, mediae aetatis homines fuisse par est, aut Aeschyli Eumenides, Euripidisve Supplices, aut similes, sed eas

(1) Cf. Schol. Soph. Aiac. vs. 1. Electr. vs. 1. Hinc Euripidis prologi.

(2) Summopere enim curabant tragici, ut choro apta esset adveniendi causa, quae fere semper in parodo explicatur. cf. Soph. Trach. 141. Schol. ad Aiac. 134. ad Oed. Col. 111. Eurip. Hippol. 120. ibique Schol. Iphig. Taur. 171. Phoen. 219. Electr. 167.

(3) Aesch. Eumen. p. 88.

fabulas, in quibus aut iuvenum aut grandaevarum chorus adhiberi potuisset. De iuvenibus quidem ratio in aperto est: horum enim vigor et alacritas non convenit naturae chori, cuius partes, nisi in patiendo, at certe in quiescendo et contemplando maiores sunt quam in agendo.

De ratione, quam Aeschylus secutus sit in eligendis chori personis, difficilius est, aliquid certi definire, quum ex parvo numero fabularum eius, quae aetatem tulerunt, in quatuor tantum, nempe Septem ad Th., Persis, Agamemnone et Choephoris, libera ei fuerit optio, neque ea ita libera, quin in his quoque certis fuerit finibus circumscriptus. Si enim verum est, Aeschylum quoque evitasse choros grandaevarum, in Septem ad Th. alium adhibere quam virginum chorum non poterat, quia non viri iuvenes solum, sed etiam senes in defendenda urbe occupati erant (1), ut apparet ex vs. 10 sqq.

> ὑμᾶς δὲ χρὴ νῦν, καὶ τὸν ἐλλείποντ᾽ ἔτι
> ἥβης ἀκμαίας, καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ,
> ὥραν τ᾽ ἔχονθ᾽ ἕκαστον, ὥστε συμπρεπὲς,
> πόλει τ᾽ ἀρήγειν, καὶ cet.

Unde, credo, apparebit chorum virginum non aptum solum, sed etiam necessarium esse.

In Persis quoque chorus senum fere requiritur. Nam et chorus femineus in aula regis Persarum non satis probabiliter fingi poterat, senes autem hi, qui, ut supra vidimus, cum imperio fuisse videntur, soli

(1) Cf. Herm. Praef. Phoen. p. XI.

sunt, quorum intersit regnum Persarum salvum esse et integrum.

Alia res est in Agamemnone, cuius chorus item senibus constat, licet alius v. c. virginum chorus minime fuisset ineptus. Eo consilio tamen poeta chorum adhibuisse videtur personarum aetatis provectioris, ut non fando sciant, sed experti meminerint eorum, quae in paranda expeditione et itinere exercitus versus Troiam accidissent. Ut ita statuamus suadet et longa commemoratio praeteritorum in parodo et primo stasimo, tum praesertim accurata narratio de Polyxenae sacrificio vs. 184-258, quod ideo tam magni est in hac tragoedia momenti, tamque prolixe explicatur, quia eo non sine veritatis specie Clytaemnestra utitur, ut caedem suam defendat vs. 1417.

De choro Choephororum supra dixi, ubi si demonstravi, requiri chorum *inferias Clytaemnestrae ferentium*, vix opus est hic monere, inferiis illis ferendis aptiores esse mulieres Clytaemnestrae servas quam servos, quarum quum aetas non accurate definiatur, consentaneum est ut putemus eas fingi mediae esse aetatis; ab Agamemnone enim bello captae sunt ante Troianam expeditionem vs. 76.

Sophocles e mythis historico-politicis, quos Aeschylus trilogiarum argumenta fecerat, ea tragoediarum elegit argumenta, quae, aut mytho ipso paullum mutato, aut personarum partibus paullum aliter descriptis, essent *ἠθικώτατα* (1) i. e. quae occasionem

(1) Plutarch. de Prof. virt. sent. laudatus a Müllero. Griech. Liter. II. 115. in annotat.

praeberent, animi humani varie affecti accuratissime describendi, cuius rei nobilissimum exemplum est Electra; quae quum in Aeschyli Choephoris deuteragonista fuisset, Sophocles fecit protagonistam. Affectuum autem descriptionem tum universa tragoediae oeconomia, tum chori cantilenis excoluit. Hanc nempe credo causam esse, quod chori personae eiusdem plerumque sint sexus et aetatis ac protagonista, ut homines eiusdem conditionis (1), et apta interpellandi occasione, et una lugendi in *κόμμοις* et abstracta contemplatione calamitatum protagonistae, uberiorem poetae animi affectuum describendorum opportunitatem praeberent. Haec chori cum protagonista *συμπάθεια* quum per integras fabulas, tum nonnullis locis diserte indicata est a poetis. Hinc Oceanus, pater Oceanidum, quas chorus agit in Aeschyli Prometheo, vs. 288.

ταῖς σαῖς δὲ τύχαις, ἴσθι, συναλγῶ.
τό τε γάρ με, δοκῶ, ξυγγενὲς οὕτως
εἰςαναγκάζει,
χωρίς τε γένους, οὐκ ἔστιν ὅτῳ
μείζονα μοῖραν νείμαιμ᾽ ἢ σοί.

Electra ad chorum amicarum in Soph. Elect. 130.

ἥκετ᾽ ἐμῶν καμάτων παραμύθιον.

Deianira ad chorum Trachiniarum, vs. 535.

— — *ἦλθον ὡς ὑμᾶς λάθρα*
— *οἷα πάσχω συγκατοικτιουμένη.*

(1) *Γυναῖκα γὰρ δὴ συμπονεῖν γυναικὶ χρή.* Eurip. Helen. vs. 329.

Hinc denique sollicitudo senum in Oedipo Coloneo, Creonte adveniente, tam manifesta, ut ille dicat:

ὁρῶ τιν' ὑμᾶς ὀμμάτων εἰληφότας
φόβον νεωρῆ τῆς ἐμῆς ἐπειςόδου.

aliisque locis plurimis. Nulla alia causa, nisi hac, Sophocles in Oedipo Tyranno et Coloneo chorum fecit senum, in Electra virginum, in Aiace nautarum. At cur senum in Antigona? De hac fabula et de Trachiniis paullo plenius dicendum est, quia de Philoctete iam supra diximus.

De Trachiniarum choro priusquam iudicetur, ante omnia requiritur, ut de tragoediae ipsius *argumento* constet, de quo alia est opinio aliorum interpretum. A. G. Schlegelio (1), qui *obitum Herculis* Trachiniarum argumentum esse putat, assentitur Hermannus (2) in Edit. Praef. *Hercules est*, inquit, *cui metuere, quem miserari spectatores volebat poeta*, quo facto fateri tamen coactus est, in principio, praeter vaticinium in epistola Herculis, nihil esse, quod magnum aliquem metum excitet, tum etiam, studia spectatorum in Deianiram conversa esse, eosque non posse non huius causa magis etiam metuere, fortunamque eius miserari, quam absentis Herculis, unde poetae consilio Herculem, re et facto Deianiram

(1) Dramatische Kunst und Literatur I. p. 177.

(2) Jacobo, qui in *Lectionibus Sophocleis*, *vim Amoris* Trachiniis comprehendi iudicat, recte respondet Hermannus, Sophoclem, si hoc voluisset, introducturum fuisse Medeam aliquam aut Phaedram. Praef. p. VIII.

primas partes agere. At quomodo haec Hermanni verba concilianda cum iis, quae proxime sequuntur, postremum nempe fabulae actum non necessarium videri? Si Hercules protagonista est, et postremus actus, Herculis obitum continens, non requiritur, relinqueretur monstrum tragoediae, in qua princeps persona non in scena prodiret. Nec ullo modo prorsus probari potest tragoedia, in qua poetae consilium et effectus in spectatores plane inter se discrepant. Sed nullam video causam, cur Hercules dicatur esse prima persona, cur ei metuant, eiusve misereantur spectatores. Non enim tragoedia dignum est argumentum, si quis fingatur poenas luens peccati, quod consulto perpetraverit. Recte Müllerus (1) Deianiram protagonistam fecit, in eo tamen vereor ne erraverit, quod tragoediae argumentum existimavit esse *Passionem ex amore.* (*Leid' aus Lieben*). Mihi potius videtur poeta egisse poenam Deianirae, propter *nimium* studium quo propositum suum, quamvis bonum, inconsiderate persequitur, ipsa Deianira indicante vs. 663

ὡς δέδοικα μὴ περαιτέρω
πεπραγμέν' ᾖ μοι, πάντ' ὅσ' ἀρτίως ἔδρων.

Quod autem Hermannus tanquam sententiae suae firmamentum attulit, in mytho Herculem esse protagonistam, hoc etiamsi verum est, nihil probare dicendum est, si vera sunt, quae supra dixi, poetas et inprimis Sophoclem, mythos in suum semper usum conformavisse.

---

(1) Griech. Literat. II. p. 124.

Primas si igitur partes recte Deianirae vindicavi, chori ratio in promtu est. Etenim secundum hanc Trachiniae sunt amicae συμπαθοῦσαι protagonistae, quemadmodum primum stasimon declarat et blandae Deianirae compellationes. Observandum tamen Sophoclem consuetudini obsecutum esse, qua chorus femineus potius virginibus, quam alius aetatis mulieribus constabat. Trachiniarum certe aetatem satis declarat vs. 144. ubi Deianira dicit, sua mala non cognita esse illis, quia *iuventus beatam degit vitam usque ad connubium.*

Quam modo observabam convenientiam sexus et aetatis inter chori personas et protagonistam, ab ea deflectit Antigone; cuius rei nisi rationem invenerimus, sententia nostra claudicet necesse est. Nempe Antigonae non additus est chorus virginum, sed senum Thebanorum, qui quales sint apparet ex vs. 150, ubi dicuntur σύγκλητος λέσχη γερόντων, convocatus a praecone, ut Creontis mandata audiat. Huius chori rationem hanc dat Boeckhius (1), senes ad agendum non aptos esse, in Antigona autem requiri chorum passivum, ut actiones non impeditae procedere possint. At num umquam chorus activus est (exceptis Eumenidibus, aliisque, de quibus mihi non dicendum esse supra monui)? immo nautarum in Aiace chorus est passivus, chorus συναλγούντων vs. 283, tota chori ratione postulante. Alterum Boeckhii argumentum

---

(1) Des Sophocles Antigone, Griechisch u. Deutsch, nebst zwei Abhandlungen. Berlin. 1843. p. 178.

est, perfectam sapientiam, et animi integritatem non nisi in senibus esse; hoc vero (pace viri celeberrimi dicam) nec per se valet, nec causa poetae esse potuit, cur hunc chorum alii praeferret; nequaquam enim chorus perfectam sapientiam agere potest. Praeterea, si senes sapientiam agunt, eamque sapientiam agere, chori officium est in tragoedia, nonne omnes choros ex senibus constare oporteret? Aliorum interpretum sententias, imprimis Jacobi, quem laudat Boeckhius, inspicere mihi non contigit. Videtur autem mihi Sophoclis consilium optime explicari posse, instituta comparatione cum eiusdem Electra, quae multis partibus Antigonae similis, non easdem tamen chori personas habet. Ex ipsa enim harum fabularum similitudine apparet falsum esse, si quis dicat, Antigonae non opus esse choro amicarum commiserantium, quarum partibus Ismene fungatur. In Electra enim, quum eodem fere inter se animo sint Electra et Chrysothemis, qua Antigone et Ismene, Electra tamen amicarum chorum secum habet. Ne hoc quidem afferre licet, in Antigone tristiorem esse tragoediae catastrophen, nec simile quidquam. Ipsarum fabularum summa discriminis esse videtur, quod Electrae peccatum privatum est, Antigonae publicum, vel, erga civitatem. Electra non vindictam sumit ab regina, quae regem, sed ab matre sua, quae patrem interfecerat; Antigone vero peccat in eo, quod sepeliendo fratre, iussa tyranni violavit. Hinc repetenda differentia chororum. In Electra chorus est amicarum, quas misceret amicae, quod tam male sit

habita ab Aegistho et Clytaemnestra; adhortantur ut dolori modum faciat, spem ostendunt melioris vitae conditionis, semper ab Electrae stant partibus, quum praeterea Clytaemnestrae partes sint minores, neque persona ita activa, ut Creontis in Antigona, qui ipse per se actionem constituit, Antigonae oppositam. Hanc ipsam ob actionis utriusque contrariam naturam, in Antigone tertiam credo requiri personam mediam, nec virgines amicas Electrae, quae, sive eloquantur, sive sileant, amicae tamen semper faveant, nec satellites Creontis, sed aliquem per se stantem, ab neutro pendentem, cui tamen utriusque commoda cordi sint. Verbo, mihi videtur hic chorus, tamquam senatus, quodammodo fungi munere civitatis, eiusque per se spectatae, cuius ut aliqua ratio sit habita, illud suadet, quod contra civitatem uterque peccat, Antigone eo, quod spernit iussum tyranni, cuius officium erat consulendi civitati, Creon eo, quod iura civitatis non bene intellexit. Nec igitur Creon civitatis personam agere potest, nec possunt populi voces, in oratione Haemonis vs. 692. quum populus, tyranni, ut fit, odio, Antigonae magis favere censendus sit, et Haemon ea verba, utut fuerint, in rem suam converterit, nec Tiresias, nec alius quisquam.

Hic autem senatus recte suo fungitur officio; maxime enim conspicua est eius sollicitudo de civitatis salute. Parodos celebrat victoriam novissimam. Primum stasimon sollertiam hominum in vita practica, tum ingenii abusum *summorum magistratuum* in re civili, qui ad perniciem ducit; *qui ita agit, ad meum fo-*

cum ne veniat vs. 374; tertium stasimon vim amoris assidentis in conciliis τῶν μεγάλων θεσμῶν vs. 796. Tandem Bacchum, civitatis patronum, precatur, ut succurrat civitati, quae πάνδημος gravi morbo prematur.

In dialogis eundem animum servat. Statim in initio, quamquam Creontis iussa non probans, non putat quemquam tam stultum fore, qui illa negligere audeat. Per totam fabulam animum neutri partium prae altera faventem in eum modum servat, ut frigidissima viderentur eius verba, nisi senatus esset, de duorum civium peccato iudicantis. Severum eius iudicium apparet in ea scena, qua postremum Antigone prodit. Non lamentatur eius sortem, sed postquam aliorum exemplo, acerbitatem poenae frustra minuere conatus est, perspicuis verbis Antigonae peccatum effatur, dicens eam ad summum Δίκης fastigium provectam, non nisi cadere potuisse, et, licet pietatem colere sit pietas, imperium tamen imperantis nemini violandum esse;

vs. 853. προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους
ὑψηλὸν ἐς Δίκας βάθρον
προςέπεσες, ὦ τέκνον, πολύ.

et vs. 872. σέβειν μὲν εὐσέβειά τις,
κράτος δ' ὅτῳ κράτος μέλει
παραβατὸν οὐδαμῇ πέλει.

Eodem modo se gerit erga Creontem. Non illud mirandum, quod facile praevidens pericula, quae ex Creontis mandato immineant, nullam interponat vo-

cem. Talia eloqui alienum est ab officio chori, audire, a tyranno, utrumque alienum a tragoediae dispositione. Non nisi trepidanti demum Creonti optima suadet, sed sero. Redeuntem a sepulcro, ubi Antigonam mortuam, Haemonis filium se interficientem offendit, eodem modo, quo Antigonam, duris verbis alloquitur: *quam sero ius perspicis!* vs. 1270. quod ipsum Creontis peccatum erat. Postremis verbis summam totius fabulae comprehendit:

πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
πρῶτον ὑπάρχει· χρὴ δὲ τά γ' εἰς θεοὺς
μηδὲν ἀσεπτεῖν· μεγάλοι δὲ λόγοι
μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων
ἀποτίσαντες
γήρᾳ τὸ φρονεῖν ἐδίδαξαν.

Sophoclem vidimus tales adhibuisse chori personas, quae protagonistae quam maxime convenirent. Euripidis hac in re mutationes explicari possunt ex mutata ratione, qua usus est in tragoediis suis disponendis, vel potius sponte ex ea proveniunt. Tragoediarum enim argumenta, quibus iam Aeschylus et Sophocles usi erant, ita mutavit, ut mores personarum, vitae quotidianae hominibus redderet quam simillimos, quorum affectus vehementiores minutissime describens, huius illiusve personae characteri, fundamenti loco posito, totam suam tragoediam superstruxisse videtur, in eo quoque ab Sophocle differens, quod non in protagonistae sed maxime in deuteragonistae moribus affectibusque describendis, praecipuam operam collocaret; Sophocles contra, si Aeschyleae

fabulae deuteragonista placeret, hunc *suae* tamen tragoediae protagonistam faceret. Euripidi deinde proprium fuit maximum spectatorum πάθη movendi studium, unde ab Aristotele (1) poetarum τραγικώτατος dictus sit. Hunc autem in finem, Euripidi ratio ipsa commendabat descriptionem ingenii mulierum, quas in diversis affectibus, praecipue vero amoris, ita exhibuit, ut mulierum plerumque sint partes, quae praecipuum fabularum ornamentum efficiant; in quibus, sint protagonistae, an deuteragonistae, elaborandis, si plurimum industriae impendit, mirum profecto videri non potest, Euripidem fabularum choris gaudere femineis. Hinc non in Medea tantum, Andromache, Electra, Helena, Hecuba, Iphigenia Taurica et Aulidensi, quibus fabulis nomen inditum est a protagonista, chorus est mulierum, sed in Hippolyto quoque, Ione et Oreste. In Hippolyto enim, quamquam hic ipse protagonista sit necesse est, Phaedrae tamen partes ita sunt elaboratae, ut interdum ab ipsis veteribus haec tragoedia, Phaedrae nomine sit laudata (2). Phaedram ut visat, in eiusque morbum inquirat, advenit chorus Troezeniarum, quemadmodum in parodo vs. 130 declarat.

Eodem modo res se habet in Ione. Ionis quamquam protagonistae partes ita sunt exiles, omnique

---

(1) Poet. XIII. 10. Aliam huius vocabuli explicationem inveni Hermanni, Praef. Hecubae XIV, Euripidem dici τραγικώτατον, *quod fere tristis sit rerum eventus.*

(2) De hac et similibus confusionibus in fabulis citandis cf. Valcken. Hippol. Praef. XVI.

vi tragica destitutae, ut ne tum quidem, si gravi et quodammodo Aeschyleo choro, sacerdotum v. c. Delphicorum, essent fultae et corroboratae, aptam tragoediae materiem praebuissent; sed Creusae est persona, quae spectatorum animos tenere debuit. Huic, primum anxiae propter filium, quem amissum esse timet, succensenti et vindictam paranti, ubi audit marito filium esse, sibi non esse, laetissimae, quum filium suum recuperavit, huic Creusae additus est chorus mulierum, earumque nec Delphicarum, quas parum movissent calamitates alienae, sed ipsius Creusae civium, quas secum duxerat, quarumque qualis sit erga reginam animus, hinc apparet, quod, quam domina, eandem ipsae quoque sortem subire malunt, quam ignominiose vivere. cf. vs. 567, 858, 1120 aliisque locis plurimis.

In Iphigenia Aulidensi Euripides consuetudinem potius chori adhibendi feminei secutus esse videtur, quam consilio usus esse, ut Iphigenia haberet amicarum chorum. Nulla chori verba causam commemorant, cur Chalcidenses aliis sint praelatae, nec cur nuptae dicantur vs. 176. Non magis enim stant a Clytaemnestrae partibus, quam ab Agamemnonis aut Achillis; de qua chori *ἀπαθείᾳ* supra monui.

Chori mulierum Argivarum in Electra mentionem nullam facerem, nisi viderem Westrikium (1) eas provectae iam aetatis esse dixisse, idque collegisse

(1) In Dissertatione de Aeschyli Choephoris, deque Electra, tum Sophoclis, tum Euripidis p. 122.

ex vs. 196, 699; quo loco Electram παῖδα vocant. Mihi non videtur inde sequi eas grandaevas esse, sed appellatio καλλίνικοι πάρθενοι vs. 761 in contrariam partem esse accipienda.

De Bacchis primum quidem animadvertenda est distinctio, quam Welckerus (1) facit inter *Bassarides* et *Bacchas*, ut Bassarides sint Maenades Lydiae vel Phrygiae, in Bacchi cultu Asiatico, magis enthusiastico et furioso, indutae νέβρισι supra vestes ποδήρεις, et serpentibus; Bacchae contra, in cultu Graeco, minus agitatae, instructae *diabathris*, *amictu epicroco*, ut e Naevio citat Welckerus. Bacchas, quas postremo commemoravi, idoneis argumentis vindicat (2) Aeschyli *Διονύσου τροφοῖς*, tragoediae primae trilogiae, cui nomen *Lycurgus*. Huius trilogiae secunda fabula est Edones, in qua eaedem tamen Bacchae Bacchum comitatae esse videntur (3). Tertiae nomen et chorum fuisse *Bassaridum* coniecit Welckerus, qua de re dubitare tamen mihi liceat. Si enim, ut puto, recte animadvertit, requiri ut Bacchae participes sint, in

(1) Tril. p. 335.

(2) Tril. p. 322.

(3) Ad duplicem chorum attendit Muller Eumen. p. 74. qui ostendit in Agamemnone, praeter senum iam adesse chorum eorum, quae in sequenti tragoedia Choephoros agerent, eodem modo Eumenidum in Choephoris, Areopagitarum et Choephororum iuxta Eumenidum chorum in cognomine fabula. In Euripidis Hippolyto, praeter mulierum Troezeniarum, etiam θεραπόντων Hippolyti est chorus, qui quaedam verba proferunt, quod etiam in Alexandra occurrere annotavit Scholiasta Hippol. vs. 58. In omnibus tragoediis reges suos habere προσπόλους notissimum est. cf. Geppert l. l. p. 63.

poena infligenda Lycurgo, hanc ipsam ob causam vix chorus esse possunt. Nec enim fingendae sunt Lycurgum coram populo trucidavisse, nec tam diu scenam reliquisse, donec caedes esset perpetrata. Mihi in hac quoque tragoedia, quodquod fuerit eius nomen, chorus fuisse videtur Edonum, ut et Bacchus cum Bacchantibus (*Διονύσου* enim *τροφοὶ*, occasionem nactae, Maenades furiosae fieri posse videntur), Lycurgum interfecerint, et ut chorus ab Lycurgi stet partibus. Ceterum aliae sunt aliorum opiniones de huius Trilogiae fabularum nominibus et de ordine, quo se exciperent, quos enumerat Welckerus (1). Qui in Schol. Aristoph. Thesmoph. vs. 135 citantur *Νεανίσκοι* vix alii esse possunt nisi Edones; fortasse appellatio *χόρος νεανίσκων Ἠδώνων* huic confusioni ansam dedit.

Redeo unde digressus eram, ut nempe observem Euripidis Bacchas esse Asiaticas illas, quod manifesto ostendunt vs. 56. 64. 1169. Dicuntur enim ministrae Cybeles vs. 79, e Tmolo monte vs. 55; gestant tympana Phrygia, quae percutiebant vs. 124, 61; canunt more Phrygio (2), *συγκῶμος* sunt Agaves. Non aliae erant Bacchae in monte Cythaerone, quae quales sint describuntur vs. 688 seqq.

Iudicio de Bacchis ferendo utilissima est annotatio Aristophanis Byzantini, qui in Hypothesi, Bacchis praefixa, memoriae tradidit argumentum Baccharum

(1) l. l. p. 326.
(2) De quo musices genere, cf. Müllerus, Aesch. Eumen. p. 92.

petitum esse ex Aeschyli Pentheo. Non multa mutavisse Poetam, ostendit Welckerus. Vel sic tamen reliquis servatis, personas chori mutare potuit, ut in Phoenissis fecit. Si mutare cupiebat, ne Aeschylum imitatus esse diceretur, ad manus erat chorus v. c. Senum Thebanorum, servato comitatu Baccharum, ne Bacchus contra consuetudinem solus incederet. Sed chorus Baccharum Dei maiestatem vindicat; huius partes per earum comitatum graviores sunt; non tam Penthei poena, quam Bacchi celebratur vindicta in eos, qui eius cultum negligunt, cuius rei Pentheus exemplum est; Bacchus enim ipse Pentheum manibus quasi in perniciem ducit. Longe alia res in Euripidis v. c. Hippolyto, in qua item propter neglectum Dei cultum homo punitur. Sed in ea Venus nihil facit nisi Phaedram implet amore; hinc mors Phaedrae, accusatio Hippolyti, ira Thesei, mors Hippolyti, quo tendit Venus, sponte deinceps sequuntur. At Pentheus tamen protagonista est, nec ei multum favet chorus vs. 1031. In hac quoque tragoedia, quod iam saepe vidimus, chorus non accommodatus est ei, cuius res periclitatur, sed ei cuius, licet sit deuteragonista, partes graviores tamen sunt, quam ipsius protagonistae. Penthei sortem commiserantis partes agit mater Agave, quod magis etiam esset manifestum, nisi ingens esset lacuna in hac tragoedia, post vs. 1330.

Quatuor sunt Euripidis fabulae, in quibus chorus constat viris: Hercules Furens, Heraclidae, Rhesus et Alcestis; quae quamquam nec inter optimas referri possunt, nec chori partes bene habent descriptas,

observationem tamen de sexus convenientia inter personas chori et dramatis eam personam, cuius partes maxime sunt elaboratae, confirmare videntur.

In Hercule enim Furente primis partibus fungatur Hercules ipse necesse est, qui licet nullius fere sit momenti (insons enim a Iunone maximis calamitatibus afficitur), nullae tamen sunt in ea fabula aliae personae, quae spectatorum animos magis tangere possint. Nec enim Megarae, Herculis uxoris, unicae in hac tragoedia feminae, partes eius sunt momenti, ut chorus feminarum ei conveniret.

Nec Heraclidis aptus esset chorus femineus. Tota enim est *politica*. Spectat auxilium quod Demophon, rex Athenarum, fert Iolao, et proli Herculis, quam persequitur Eurystheus. Quum vero res agantur Athenis, chorus est senum Atheniensium.

Quia chorus militum in Rheso (1), loci naturâ, ubi fabula agitur, prorsus requiritur, una superest Alcestis, de qua sit agendum. Fabulae quidem ipsi, nescio utrum lucem insperatam attulerit nuper inventa didascalia, in qua quarta dicitur tetralogiae Euripideae; an maiores etiam offuderit tenebras, quia neque drama satyricum dici possit, ut tetralogiae mos postulat, neque e comico genere est, ut scriptores didascaliae et hypotheseos referunt, (qualem comoediam praeterea tetralogia tragica respuit)

(1) De Rheso, utrum genuinus sit nec ne, lis est iam ab antiquis grammaticis agitata. cf. Hypoth. E recentioribus, qui de hac quaestione data opera egerunt, aliis videtur Euripidis aetate recentior, aliis e prioribus Euripidis fabulis.

nec etiam suis numeris absoluta tragoedia (1). Utut est, illud rectissime vidisse mihi videtur Goethius, in facetissima fabula, cui nomen *Dei*, *Heroes et Wielandus* (2), chorum his agere *populum Pheraeorum*, sollicitum de calamitate domus Admeteae, unde statim sequitur chorum virorum multo aptiorem esse quam feminarum.

---

(1) Vide de ea re agentes Dindorfium, in Praef. Alcestidis (Oxonii, 1834) VI, Hermannum, in Praef. Cyclopis VII. et Hartungium, Eurip. Restit. II. p. 229. qui falso ex Herculis persona appoti, conficit drama Satyricum esse.

(2) Goethii Opera omnia VII. p. 219.

THESES.

I.

Hom. Il. *Λ*. vs. 139 seqq.

ὅς ποτ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγεν,
ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ Ὀδυσῆϊ,
αὖθι κατακτεῖναι, μηδ' cet.

ἀγγελίην accusativus est a nominativo *ἀγγελίης*.

II.

Trilogiae Aeschyleae, *Danaïdis*, tragoediae hoc ordine se excipiebant: Supplices, Aegyptii, Danaïdes.

III.

Aesch. Septem ad Thebas, vs. 10 seqq.

ὑμᾶς δὲ χρὴ νῦν, καὶ τὸν ἐλλείποντ' ἔτι
ἥβης ἀκμαίας, καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ,
βλάστημον ἀλδαίνοντα σώματος πολὺν,
ὥραν τ' ἔχονθ' ἕκαστον, ὥστε συμπρεπὲς,
πόλει τ' ἀρήγειν, καὶ cet.

tres significant aetates: pubescentem (*τὸν ἐλλείπ. — ἀκμαίας*), senilem (*τὸν ἔξηβον — πολὺν*) et virilem (*ὥραν τ' ἔχονθ' ἕκαστον*).

IV.

In Sophocl. Ant. vs. 781.

Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,

vocabulum *κτήμασι* corruptum est.

V.

In Eurip. Androm. vs. 111.

πολλὰ δὲ δάκρυά μοι κατέβα χροὸς, ἀνίκ' ἔλειπον
ἄστυ τε καὶ θαλάμους καὶ πόσιν ἐν κονίαις

corrigendum est: *θαλάμους, καὶ πέσεν ἐν κονίαις.*

VI.

Thuc. IV. c. 18. *προςφέροιντο, τόν τε πόλεμον — ἡγήσωνται· καὶ* cet. Haasius recte correxit *προςφέροιντο, οἵ τε πόλεμον — ἡγήσωνται, καὶ* cet.

VII.

Thucyd. IV. 62 init. *ἢ δοκεῖτε, εἴ τῳ τι ἔστιν ἀγαθὸν ἢ εἴ τῳ τὰ ἐναντία, οὐχ ἡσυχία μᾶλλον ἢ πόλεμος τὸ μὲν παῦσαι ἂν ἑκατέρῳ, τὸ δὲ ξυνδιασῶσαι, καὶ τὰς τιμὰς καὶ λαμπρότητας ἀκινδυνοτέρας ἔχειν τὴν εἰρήνην*, cet., non emendando, sed explicando expedienda sunt.

VIII.

Horat. Sat. I. 1. vs. 29 seqq.

Perfidus hic caupo, miles, nautaeque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt.

recte emendatum est

Pervigil hic *campo* miles, cet.

IX.

Fallitur Horatius A. P. 276.

Dicitur — plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent, agerentque peruncti faecibus ora.